Schopen, Ludwig
Specimen emendationis
in Ael. Donati commentarios
Terentianos

PA
6380
S36

LUDOVICI SCHOPENI

SPECIMEN EMENDATIONIS

IN

AEL. DONATI COMMENTARIOS TERENTIANOS

AD NOVAM TOTIUS OPERIS EDITIONEM INDICENDAM

PROPOSITUM.

BONNAE,

LITTERIS C. F. THORMANNI.

1826.

PA
6380
S36

LIBRARY
JUL 26 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

803511

Illud quoque mirabile in eo, primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit earum distinctio; et item, quod nihil ad populum facit actorem velut ex tragoedia loqui, quod vitium Plauti frequentissimum est. *) Quis est, qui divinare possit, quem dicat morem comoedorum *velut ex tragoedia* loquendi? Ne te morer, locus corruptus est, quem ego, certissimam, ut opinor, coniecturam secutus, sic restitui: *velut extra comoediam.* Nimirum solet, ut constat, Plautus, quem iste reprehendendum hoc nomine putat, actores nonnunquam ea ad populum loquentes facere, quae nihil plane ad id, quod agitur, pertinere, sed, ut ille ait, velut extra comoediam dicta esse videantur. Erroris origo in promptu est. *Extra* enim cum temere esset ab imperitis dissectum, vicinum vocabulum, quod etiam compendio scribi solebat, in corruptelae societatem traxit.

---

*) Quod dudum monui, Donati Commentariis ubique immixtas esse enarrationes aliorum, id insigni exemplo probare possunt, quae in ipso operis initio de comoedia traduntur. Haec enim omnia usque ad verba *Comoedia est fabula,* non eius scriptoris sunt, cuius feruntur in libris, sed Euanthii Grammatici, qui eadem fere, qua Donatus, aetate vixit et Constantinopoli litteras docuit. Atque hoc ita esse, ut dixi, Lindenbrogius probabiliter ostendit ex Rufino Antiochensi, qui in libr. de metris Terentianis, quaedam ex his ipsis prolegomenis citans, eorum auctorem diserte Euanthium facit. Donati certe ea non esse, vel sola latinitas scribendique ratio docere poterat. Vulgo libellus, unde quinque locos priores hic emendandos elegi, inscribitur *De Comoedia et Tragoedia:* vera inscriptio *De Fabula* est, ut ex eodem Rufino p. 2705 patet. A. B. Wolfius de Canticis p. 16. In libris veteribus nullus omnino titulus comparet. Cum autem veteres dico editiones, intelligo quatuor potissimum, quarum praestantissima prodiit ex officina Vindelini Spirensis, anno, ut putant, MCCCCLXXII. Alteram sine anni et loci nota, quam Ebertus in Lex. Bibliogr. T. I. p. 496., tanquam omnium vetustissimam, primo loco posuit, Vindelini editione iuniorem esse et totam ex ea fluxisse, tum probabo, cum de omni genere subsidiorum, quibus in Donato emendando usus sum, proprie exponam. Reliquae duae, quas usurpavi, editae sunt Tarvisii a. MCCCCLXXVII. et Venetiis apud Lazarum Soardum a. MCCCCXCVII. quarum utraque fabulis Terentii Donatum comitem dedit.

Quin etiam solus ausus est Terentius, cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere, quibus tamen, cur bonae sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Postrema haec verba et sensus et constructionis difficultatem habent. Utrique incommodo ego mihi videor mederi posse, sic lenissime corrigendo: *quibus tamen, cum bonae sint, et voluptas per ipsum et causa non defit.* Res aperta est, ut opinor.

Illud vero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse, ut togatas, a scenicis atque argumentis latinis, praetextatas, ab dignitate personarum et latina historia, Atellanas, a civitate Campaniae, ubi actitatae sunt plurimae, Rhinthonicas, ab actoris nomine. Chr. Reuvens. Collect. Litt. p. 47. legendum suspicatur *a scenicis togis atque arg. lat.* quem ego non sequar. Nam ea mutatione, magnopere vereor, ne, quae sana et integra sunt, corrupta fiant. Quid multa? *Scenicos latinos* cum dicit, histriones, ni fallor, describit, qui Romanorum habitu, id est, togati, in scenam prodibant. Quod quam recte et Latinorum consuetudini loquendi convenienter dixerit, nescio; hoc scio, tali omnino dicendi genere hunc libellum scriptum esse, vix ut ullum in eo priscae elegantiae studium agnoscas. Paullo inferius post *personarum* libri vett. vocem *tragicarum,* vulgo omissam, recte addunt. A. G. Langius Vindic. Trag. Rom. p. 52. Quod autem in extremo Rhinthonem, quem omnes poetam fuisse tradunt, *actorem* vocat: vulgaris scriptura maculam traxit, quam iure mireris ne paullulum quidem suboluisse Gisb. Cupero Obss. I. 10. p. 73. Scripsit *ab auctoris nomine*, ut iam pridem in tanta aberrandi facilitate reponendum monuerunt G. I. Vossius Instit. Poet. II. 1. p. 103. et I. Toupius Emend. Suid. II. p. 136. Ox.

Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt ad cunctas res, etiam tum recentius idem poeta et actor fabularum suarum fuisset. Sic libri veteres, sensu nullo. Itaque Muretus, cum in aliis exemplis scriptum reperisset *cum etiam tum recentius et poeta etc.* legendum coniicit hoc modo: *Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt, cum etiam tum ad cuncta recentibus, idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset*, ut hoc significetur, ideo eundem et poetam et actorem fuisse, quod Romani etiam

tum ad eiusmodi omnia rudes essent. In quo primum id mirum est, quod *recentibus* illud, quo corruptelam sibi sanasse videtur, plane non habet, quo iuste referatur. Nam ad Romanos referri posse, cum nulla eorum hic mentio fiat, nemini credo Muretum persuasurum esse. Quin etiam *cuncta*, sic nude positum, de omnibus omnino rebus, non de scenicis tantum, quemadmodum Muretus voluit, intelligi debet. Quare cum alia laboranti huic loco medicina adhibenda sit, afferam ipse, si quid certius possum. Suspicor enim legi oportere: *Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt, adeo cuncta re etiam tum recenti, ut idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset.* Eam mutationem, quae scriptoris menti plane respondet, ductam esse ex ipsis veteris scripturae vestigiis, facile intelligit, qui aliquam eo in genere exercitationem habet. Singula persequi non libet; tantum admonebo, ne quid vitiosi residere existimes, structuram verbi *fuisset*, pro *esset* positi, non inusitatam esse scriptoribus huius aetatis, ut exemplis docet Salmasius ad Tertull. de Pallio p. 120. *Etiam tum* autem est *tum adhuc*, ut vulgo loquuntur. Sueton. de Illust. Gr. init. *Grammatica Romae ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate.* Fr. A. Wolfius ad Tacit. Annal. I. 3.

Protasis primus est actus initiumque dramatis, epitasis incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Haec cum primum legerem, *motus erroris* mendum putabam operarum. Sed idem miro consensu editi omnes, nisi quod vetustissimi *modus erroris* habent. Unius litterae mutatione sensus veritatem restituo, scribendo *nodus erroris.*

Personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius et Faliscus, tragoediam Minutius et Prothonius. *) Lindenbrogii ms. non *Prothonius* habet, sed *Pro-*

---

*) Hic et qui sequuntur loci desumti sunt ex commentariolo Donati de Comoedia, cuius initium in libris veteribus arcte cum extremo Euanthio cohaeret, nullo interiecto titulo. Mss. Lindenbrogii indicem tantum *De Comoedia* habent, scriptoris nomen non addunt. Neque tamen dubitandum videtur, quin recte Donato librum vindicaverim. Nam, ne dicam, in dictionis genere vix quidquam inveniri, quod ab huius scriptoris elegantia dissidere videatur: ipse etiam Donatus in Praef. Adelph. testatur se commentario nonnulla de comoedia praeposuisse. *Protasis est turbulenta*, inquit, *epitasis clamosa*,

thimus, eamque lectionem firmat Adelphorum Didascalia: *Egere L. Atilius Praenestinus*, *Minutius Prothimus*. Inscriptio vetus Gruteri p. DCCCCXXXI. *Prothumum* habet, et lapis apud Murator. p. MDCCXXXII. *Prothymum*. Nomen *Prothonii* nusquam inveni. *Prothimus* autem vel, quod libentius scriberem, *Prothymus* graecae originis est, qualia saepissime libertinis utriusque sexus apud Romanos cognomina erant. Manut. Cic. Epist. ad Fam. VII. 24. et Bentleius ad Horat. Serm. I. 3. 40. Idem nomen ex libris meis vetustis restituo Donato in Praefat. Eunuchi, ubi hodie *Posthumio* legitur. Sed quod nostro loco *Minutius* et *Proth.* non unius hominis, ut in Didascalia, sed duorum sunt nomina, pariterque *Cincius*, quod magis etiam mirere, diversus a *Falisco* ponitur, eum et ipsum librariorum potius errorem, quam eruditi Grammatici Wolfius de Canticis p. 23. credit mihique plane persuasit, utrobique particulam *et* eiici oportere.

Omnium autem comoediarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur, nomine, loco, facto, eventu; nomine, ut Phormio, Hecyra, Curculio, Epidicus; loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina; facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi; eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. His paucis in verbis, vix credibile est, quam multa scribarum errore depravate legantur. Primum illud *comoediarum scripta*, quid quaeso est? Nempe truncavit posterius hoc similitudo litterae praecedentis. Lege *inscripta*, quod cadentis sane latinitatis vocabulum reperitur etiam apud Gellium in Praefat. N. A. Sed graviori medicina egent, quae sequuntur: *nomine, ut Phormio, Hecyra, Curculio, Epidicus.* Inscribi ait quasdam fabulas a nomine, eorum scilicet, qui praecipuas in iis partes tenent. Cuius rei exempla ut recte et Phormio et Curculio et Epidicus ponuntur: ita Hecyrae nomen, quod additum legitur, non dubito, quin temere ab aliquo imperito inculcatum sit. Ipse enim ad Hec. docet, quod vel nomen declarat, hanc ideo vocari, quia per socrus et soceros in ea multa agantur. Neque leve huius

---

catastrophe lenis; quarum rationem diligentius in principio proposuimus, cum de comoedia quaedam diceremus. Atque haec eadem, quod percommode cecidit, etiamnum libellus continet, cetera adeo mutilus et lacunosus, ut, quae hodie eius supersunt, fragmentorum nomine inscribenda videantur.

fraudis indicium putari debet, quod hoc uno loco quatuor, non tria, ut in reliquis, fabularum nomina commemorantur. Ex eodem genere vitiorum illud est, quod aliquanto post vulgo ita legitur: *eventu*, *Commorientes*, *Adelphi*, *Heautontimorumenos*. In libris veteribus, quos mihi quidem usurpare licuit, pro *Adelphi* constanter *Crimen* inveni, eamque scripturam veram esse arbitror. Respicit autem, ni fallor, Afranii hoc nomine togatam, cuius memoriam servavit Nonius. Altera inscriptio supposita est in locum genuinae, quippe in vulgus ignotae. Sed locus etiam alio, quanquam leviori et sola coniectura facile eximendo, vitio laborat. Suspicor enim post vocem *eventu* excidisse part. *ut* eadem de causa, quam modo significavi. Ceterum praeteriens moneo, Brundusinam quam vocat, esse eiusdem Afranii, ut ex Festo v. *Sagaces* patet. Eandemne dicant Charisius I. p. 80. et Priscianus X. p. 879. viderint alii. Leucadia autem Turpilii Comici fabula est, a Nonio saepius laudata. Plura habet Davisius ad Cic. Tusc. Disp. IV. 34. qui locus fraudi fuit lexicographo eximio, Aeg. Forcellino s. v. *Leucadius*.

Comoediarum formae sunt tres, Palliatae, graecum habitum referentes, quas nonnulli tabernarias vocant, Togatae, iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes. Ex libris veteribus scripsi *referentes*, cum vulgo esset *ferentes*. Reuvensio Collect. Litt. p. 47. verba *quas nonnulli tab. vocant*, cum palliatas nemo unquam *tabernarias* dixerit, sedem mutasse suspicanti, probabili coniectura scribendum videtur: *Togatae, iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes, quas nonnulli tabernarias vocant.* Verum haec omnia cum eiusdem esse non possint, qui paullo ante multa, non tria tantum comoediarum genera esse dixit: noli dubitare, quin alterutro loco alienae manus lacinia sit. Ultra progredi, ut nunc sunt ista fragmenta, hariolantis est.

In scena duae arae poni solebant, dextra Liberi, sinistra eius dei, cui ludi fiebant: unde Terentius in Andria ait: Ex ara hac sume verbenas. Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit, quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire: seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Huius enim virtutis erat animi semper decipientis ingenium.

Nonnulli Ithacae incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personae diademata habent, quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint. Deesse nonnulla post *verbenas*, perspicuum est. Sed egregie fallor, aut omnino ea, quae de tragico narrantur habitu, aliunde huc irrepsere. Nec tamen probaverim Oct. Ferrarium de Re Vest. II. 4. 1. qui quas sibi ineptias merito hic deprehendisse videtur, interpolatoris indicium habet. Quisquis enim haec scripsit, profecto non *pallium*, sed, quod ex ipsa, quam addidit, rei explicatione patet, *pileum* Ulyssi eiusque popularibus tribuit. Ulyssem certe tantum non semper *pileatum* fuisse, ex imaginibus scriptoribusque nota res est. I. Meursius Misc. Lac. II. 17. Raynaud. de Pileo VIII. p. 1263. Thes. Graev. Winckelmann. Hist. Art. X. 1. §. 26. Addam insignem Varronis locum ex Nonio p. 344., a me, ut opinor, integritati restitutum. *Diogenem postea pallium solum habuisse et habere Ulyssem meram tunicam, pileum ideo habere.* Negationem, quae vulgo post *ideo* ponitur, eieci; idque iis, qui totum locum attente perpenderint, facile probatum iri puto. Nam ideo Ulysses de Varronis sententia pileum habet, quia mera indutus est tunica, non pallio, quo ipsum caput Diogenem obtexisse constat.

LK.1.4.64.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
6380
S36

Schopen, Ludwig
Specimen emendationis
in Ael. Donati commentarios
Terentianos